

nec sub illis terminis in nostris libris reperitur.

CAPUT IX.

VOCATIONEM DIVINAM ETIAM SUFFICIENTEM TANTUM NON IN SOLO INTELLECTU, SED ETIAM IN VOLUNTATE RECIPERE, NULLAMQUE ESSE CUI RESISTI NON POSSIT.

Nulla vocatio cui liberum arbitrium non possit resistere. — Caput hoc necessarium hoc loco visum est, quia prædictus auctor, Franciscus Davila, videtur errores superiori capite tractatos collegisse ex alio principio, quod vel nobis imponit, vel certe verum esse sentit, scilicet, vocationem Dei, cui liberum arbitrium resistere potest, esse tantum in intellectu. Distinguit enim ille duplicem vocationem, unam cui potest resistere voluntas libera, alteram cui non potest resistere. Priorem dicit esse tantum in intellectu. Posteriorem vero etiam voluntatem attingere, et quia certo scit nos nullam ponere vocationem, cui liberum arbitrium non possit resistere, ideo nobis imponit simpliciter, quod asseramus tantum esse in cognitione. Unde tractans locum Augustini, quæstione secunda ad Simplicianum, dicit nos interpretari Augustinum, quod non cognoverit aliam applicationem voluntatis præter vocationem quæ est sola cognitio, cap. ultimo, p. 449 et 450. Ipse autem subjungit hoc esse contra mentem Augustini, qui ultra vocationem, quæ est sola cognitio superaddit operationem Dei, qua in nostra voluntate operatur velle et perficere; et paulo inferius iterum dicit falso nos Augustino attribuere, quod solam vocationem cognoverit, quæ est tantum cognitio, ejus contrarium probare contendit ex eodem Augustino, libr. de Prædestinatione Sanctorum, c. 6. Et inferius, quia Augustinus ponit in electis singularem vocationem ex proposito, quæ illos facit credentes et pœnitentes, colligit ille, manifestum inde esse, dari secundum Augustinum aliam vocationem, quæ non sit sola cognitio. Quam illationem ita inferius inducit: *Quantumcumque namque sit cognitio vehemens, non sit per hanc homo credens, potest enim hujusmodi vocationi obsistere.* In qua probatione duo in virtute dicit: unum est omnem vocationem, cui potest obsistere, esse tantum in cognitione; aliud est vocationi, quæ hominem facit credentem, non posse obsistere, quia facit ex semetipsa efficaciter credentes et filios Dei, applicando eorum voluntates motione reali et

physica, ut credant, quod inferius prosequitur.

Nulla vocatio est tantum cognitio. — *Vocatio includit illustrationem intellectus, et suam delectationem seu motionem voluntatis.* — Nos autem nunquam diximus vocationem aliquam esse tantum cognitionem, sed oppositum absolute docemus. Nam Molina, disp. 8 suæ Concordiæ, cum dixisset ad actum fidei necessario præcedere illustrationem intellectus, et præviam motionem voluntatis subjungit: *Quæ duo interna vocatio appellatur, illisque mediantibus dicitur Deus trahere credentes ad fidem.* Gabriel Vasquez, 1 tom. primæ partis, disp. 88, c. 7 et ultimo, dicit vocationem includere illuminationem intellectus, et suam delectationem, seu motionem voluntatis; quam doctrinam late prosequitur disp. 89, 91 et 92. Nos etiam, in l. 3 de Auxiliis, c. 4, n. 3, et c. 9, n. 8, ostendimus gratiam excitantem includere illustrationem intellectus, et affectionem voluntatis; in cap. autem duodecimo, num. tertio, diximus gratiam excitantem esse vocationem per illuminationem et inspirationem. Unde aperte constat ex nostra sententia vocationem includere intrinsecam utriusque potentiæ excitationem et motionem. Hæc autem tradimus universe et indistincte de vocatione sufficienti et efficaci, quia de utraque sentimus non includere talem motionem voluntatis, quæ illam determinet ad anum. Hinc vero ille auctor, contra nostra expressa verba vult ut sentiamus vocationem in sola cognitione consistere, imo ipse putat hoc esse verum (etiam secundum D. Augustinum) de illa vocatione, cui resisti potest, seu quæ non determinat voluntatem ad unum.

Vocatio tantum sufficiens et inefficax, non consistit tantum in cognitione. — Nos vero nunc expressius addimus vocationem, quæ de facto est tantum sufficiens et inefficax, cui non solum resisti potest, sed etiam de facto resistitur, non consistere tantum in cognitione, sed includere etiam intrinsecam motionem voluntatis, et oppositum censemus omnino falsum; an vero sit censura dignum, viderint iudices fidei. Nam Concilium Tridentinum, sess. 6, c. 3, dicit exordium justificationis sumi a præveniente gratia, hoc est a vocatione; et infra dicit Deum per hanc vocationem tangere cor hominis, quod tantum in ipsamet voluntate fieri certissimum est, ut supra dixi. Præterea Augustinus, libr. 2 de Peccat. merit., c. 19, in universum loquendo

de vocatione Dei, eam declarat per actus intellectus et voluntatis. Idem, quæstione secunda ad Simplicianum, et sæpe alias, eumque imitati sunt Theologi scolastici, qui passim explicant vocationem per Spiritus Sancti illuminationem et inspirationem, quorum altera ad intellectum, altera ad voluntatem pertinet, ut supra dictum est, neque Augustinus vel alius Theologus distinctionem quoad hoc facit inter vocationem sufficientem et efficacem. Alias qui solum sufficienter vocantur, non moverentur in voluntate, sed solum in intellectu, vel saltem ex vi vocationis id non esset necessarium, quod est contra sanam doctrinam, ut supra dixi, et contra rationem sufficientis vocationis. Quia de ratione sufficientis vocationis est ut includat totam præparationem voluntatis necessariam, ex parte Dei, ut homo valeat consentire; non est autem necessaria sola illuminatio intellectus, sed etiam interna excitatio ipsius voluntatis, quia necessaria est prævia elevatio utriusque potentiæ, ut supra dicebamus; ergo vocatio, ut sit sufficiens, necessario includit, ultra cognitionem, internam motionem voluntatis.

Homo potest dissentire divinæ vocationi, si velit. — Addimus præterea falsum omnino esse, dicere, dari aliquam vocationem cui voluntas libera resistere non possit. Primo quidem quia Concilium Tridentinum indefinite et sine ulla limitatione definit, hominem posse dissentire divinæ vocationi, si velit; non potest ergo hæc definitio coarctari, seu limitari ad vocationem inefficacem; tum quia propositio Concilii doctrinalis est, et ideo æquivalet universali, alioqui, si liceret illa distinctione definitionem Concilii limitare, nihil certum contineret; facile enim esset varias distinctiones confingere, per quas doctrina Concilii eluderetur; tum maxime quia illo modo fit inutilis, imo ridicula Concilii definitio; nam Concilium per illam doctrinam intendit confutare hæreticos hoc tempore dicentes Deum, per motionem gratiæ, tollere nostram libertatem in consentiendo; illi autem non hoc docent de vocatione inefficaci, sed de efficaci, per quam dicunt necessitari hominem, quia illi non potest resistere. Si ergo Concilium de hac non loquitur, nihil contra illos docet; loquitur ergo simpliciter de omni vocatione, etiam efficaci. Secundo, quia nulla vocatio quantumvis efficax tollit libertatem; ad libertatem autem vult Concilium esse necessariam potestatem resistendi seu dissentendi; ergo, juxta doctrinam Concilii et Ca-

tholicam, sicut nulla est vocatio quæ tollat libertatem, ita nulla est vocatio cui resisti non possit.

Dissentendi potestas duplex. — Responderi potest ex doctrina ejusdem auctoris in alio loco, cap. ultimo, p. 390, duplicem esse potestatem dissentendi, scilicet, in sensu diviso et in composito. Divisus est, quia si motio vocationis auferatur, poterit dissentire voluntas; compositus est, quod stante et perseverante vocatione simul stare possit resistentia voluntatis. Ait ergo, Concilium locutum fuisse de potestate resistendi in sensu diviso, nihilominus tamen dari posse vocationem cui resisti non possit in sensu composito. Sed hæc interpretatio repugnat verbis et intentioni Concilii, ejusque doctrinam non minus inutilem ac frivolum reddit. Quis enim unquam negavit aut negare potest, desistente Deo a sua vocatione, posse etiam hominem a sua responsione seu consensu desistere; aut non movente Deo posse hominem non moveri. Imo, juxta adversariorum doctrinam, non solum sequitur posse hominem dissentire, si Deus cesset ab efficaci vocatione, sed etiam sequitur jam tunc non posse assentire, nec moveri, quia, donec determinatur a Deo non potest præbere assensum. Unde, ablata illa vocatione necessaria ad consentiendum, carentia consensus ex parte voluntatis non esset vera resistentia aut dissensio, quia ibi tam cessatio actionis quam carentia passionis inciperet ex parte agentis suspendentis suam efficacem motionem, quæ suspensio non proveniret ex potentia resistendi ipsius mobilis, sed ex arbitrio moventis; ergo cessatio motus inde proveniens non potest appellari resistentia.

Nec illud genus potestatis deservit aliquid ad libertatem tuendam, tum quia magis pertinet ad potestatem passivam quam activam; tum etiam quia illo modo etiam bestię et inanimata habent potestatem non operandi, non obstante motione Dei, scilicet in sensu diviso, si Deus a movendo cesset. Unde fit manifestum interpretationem esse contra intentionem Concilii; quia hæc fuit libertatem tueri, et repugnare hæreticis, qui non dubitant quin, cessante motione Dei, cessare debeat actus voluntatis; sed quia putant stante illa motione Dei non posse voluntatem resistere, neque etiam posse voluntatem facere, ut Deus desistat a tali motione, ideo putant Deum tollere libertatem. Concilium ergo, ut eis contradicat, definit, posita et perseverante vocatione qua-

cumque posse hominem dissentire si velit, qui plane est sensus compositus.

Atque hoc satis confirmant verba ejusdem Concilii dicentis, *tangente Deo cor hominis, posse hominem inspirationem illam abjicere*; non enim dicit posse Deum inspirationem illam tollere. Id enim satis manifestum est, indicat autem libertatem Dei, non nostram; hæc autem indicatur per hoc, quod possumus abjicere inspirationem, etiamsi ex parte Dei non tollatur. Idem ostendunt verba canon. 4, scilicet, *Liberum hominis arbitrium, a Deo motum et excitatum, ita consentire Deo excitanti et vocanti, ut possit dissentire si velit*. Ubi imprimis considero loqui Concilium de homine ita vocato ut consentiat, et consequenter de efficaciter vocato, et nihilominus de illo dicere retinere potestatem dissentendi; deinde expendo eodem modo dicere Concilium *consentire et dissentire Deo vocanti*; quare sicut potestas consentiendi est in sensu composito, ita etiam potestas dissentendi. Imo, ut dicebamus, alias non esset potestas dissentendi Deo vocanti, si oporteret prius vocationem Dei cessare aut minui; tunc enim cessaret consensus, quia cessaret vocatio, non quia homo dissentiret vocationi.

Nulla est vocatio cui resisti non possit. — Concludimus igitur nullam esse vocationem cui resisti non possit, neque hoc pertinere ad rationem efficacis vocationis, non est enim vocatio efficax, cui resisti non potest, sed cui non resistitur, et quæ ex intentione Dei tali modo datur, ut infallibiliter ei non resistatur, licet resisti possit. Hæc enim duo non repugnant, ut supra declaratum est. Et nihilominus non agnoscimus veram et sufficientem vocationem, quæ in sola cognitione consistat, quia non repugnat vocationi penetrare usque ad ipsam voluntatem, quoad internos motus ejus indeliberatos, relinquendo in illa potestatem ad non præbendum deliberatum consensum; imo oppositum repugnat, nisi novum miraculum addatur. Quia sicut nulla cognitio viæ, quantumvis vehemens, tollit potestatem obsistendi, ita nulla inclinatio per simplices affectus indeliberatos tollit potestatem deliberandi, et negandi consensum, nisi aliunde impediatur usus actionis et libertatis.

Vocatio pertinet ad gratiam excitantem et exordium salutis. — Augustinus. — Imo addimus ultimo quod, licet daremus esse possibilem vel necessariam illam prædeterminationem physicam, nihilominus non posset intra vocationem (ut sic dictam) computari, sed esset

motio alia a vocatione distincta. Probatur, quia Concilium Tridentinum dicit vocationem pertinere ad gratiam excitantem et exordium salutis; at prædeterminatio non est gratia excitans, ut per se notum est; nec pertinet ad exordium salutis, ut supra probavi, sed potius ad consummationem. Ad hoc item spectat quod Augustinus ait, Deum per vocationem operari in nobis sine nobis, ut velimus; cum autem volumus, nobiscum cooperari, quæst. 2 ad Simplician., et lib. de Gratia et lib. arb., cap. 17; ex quo argumentor in hunc modum: nam vel illa physica motio, ut est ex sola efficientia Dei, terminatur ad aliquem actum vitalem voluntatis, vel non, sed tantum ad quamdam determinationem præviam; si hoc posterius dicatur, non potest appellari vocatio, quia vocatio consistit in vitali actu cordis sentientis, et percipientis illam; si vero eligatur prius, interrogo qualis sit ille actus vitalis in voluntate: aut enim est indeliberatus motus, et hoc non, quia ille pertinet ad gratiam excitantem, et non determinat physice, ut ostensum est; aut est ipsemet consensus deliberatus, ut procedens a Deo, et sic etiam non potest dici vocatio, sed potius responsio; nam licet homo respondeat, Deus ipse est qui ipsam bonam responsionem principaliter operatur. Unde vocatio in voluntate semper est actus in re ipsa distinctus ab obedientia, seu consensu ejus, præceditque sicut exordium salutis, ut Tridentinum dixit, et verum habet etiam in vocatione efficaci. Quamvis ergo omnis vocatio antecedit physicam determinationem voluntatis, et a quocumque principio illa procedat, nihilominus non est sola cognitio, sed voluntatem etiam afficit.

CAPUT X.

LIBERUM ARBITRIUM NON MERERI GRATIAM PRIMAM, ETIAMSÌ DETERMINATIO AD CONSENTIENDUM GRATIÆ VOCANTI SINE ILLO NON FIAT.

Præter omnia superius dicta, inferunt ex nostra sententia, et, quod gravius est, nobis simpliciter attribuunt quod meritum primæ gratiæ libero arbitrio suis naturalibus viribus operanti tribuamus; sic dixit M. Davila, cap. 25, pag. 234, et cap. 11, p. 116: *Ista sententia constituit meritum in natura, quoniam illam operationem, quam constituit extra gratiam per solas vires nature, infallibiliter sequitur gratia gratum faciens*; et alibi dicit de nobis: *Profitentur hominem actibus ex viribus nature*

profectis, gratiam et justificationem adipisci. Et quamvis hic auctor non referat in particulari doctorem aut locum in quo talis sententia, vel illamet formalia verba quæ ab ipso proponuntur, contineantur, videtur tamen occasionem sumpsisse ex quibusdam verbis Molinae, in disp. 13 suæ Concordiæ, quæ postea expendemus; loquitur etiam consequenter ille auctor, nam cum supra nobis imposuerit quod dicamus, a nobis ipsis, et per nostras vires habere ultimam dispositionem ad gratiam, quid mirum est quod asserat nos usurpare proprium meritum gratiæ? nam ultima dispositio aliquod meritum gratiæ existit, saltem impetratorium, seu de congruo.

Hæreticum est dicere posse hominem mereri primam gratiam per vires nature. — *Divisio primæ gratiæ in primam auxiliantem, et primam sanctificantem.* — Constat autem apud Theologos, esse manifestam hæresim, dicere posse hominem mereri primam gratiam per vires nature, sive id intelligatur de merito de condigno, sive de congruo. Et ideo grave ac intolerabile est, quod Doctoribus catholicis tam manifestus error attribuitur, exlevissimo fundamento, cum alio falso testimonio, hoc posterius deducendo, et postea utendo verbo illo *profitentur*, quod verbum non insinuationem aliquam vel indirectam collectionem, sed expressam et formalem doctrinam, et ex professo tractatam præ se fert. Ubi autem est in nostris auctoribus aut libris talis professio? aut quis est ex nostris hujus materiæ tractatoribus, qui errorem illum ex professo non impugnaverit? Ut ergo veritas declaretur, vulgaris est distinctio primæ gratiæ in auxiliantem, et in primam sanctificantem. Priori modo loquuntur frequenter de prima gratia sancti Patres, præsertim disputantes contra Pelagianos et Semipelagianos. Estque hæc gratia primum illud auxilium, quo Deus hominem movere incipit ad pie vivendum, ut sumitur ex Augustino, Epistol. 90, 95 et 105, et sequentibus. Quodlibet enim donum gratiæ gratia appellatur, et quia inter dona gratiæ, quæ homini operanti donantur, auxilium Dei est maxima gratia, ideo primum auxilium unde cætera incipiunt simpliciter prima gratia appellatur. Posteriori modo dicitur prima gratia habitus primo infusus animæ peccatoris ut sanctificetur, illius enim munus et formalis effectus est sanctificare animam. Vocatur autem prima quatenus terminat infusionem, ut distinguatur ab augmento, quod illi postea superaddi solet: et hanc gratiam fre-

quenter intelligunt Scholastici nomine primæ gratiæ simpliciter dictæ.

Prima gratia auxilians, et prima gratia sanctificans, in quo conveniant. — *Neutra cadit sub meritum de condigno.* — Est autem differentia, scilicet, posse esse præmium nostri meriti. Conveniunt enim, quia neutra cadit sub meritum de condigno, quia utramque illarum necesse est ante illud supponi. Nam homo non sanctificatus non est capax meriti de condigno, nec pie operari potest sine præveniente Dei auxilio. Secundo conveniunt, quia neutra cadere potest sub meritum, etiam de congruo seu impetratorium, fundatum in actu elicitio a libero arbitrio per solas vires naturales suas, quia hujusmodi actus est improporcionatus ad totum supernaturale bonum. Et ideo nec per modum meriti, nec per modum congruæ et proportionatæ dispositionis potest aliquod donum illius ordinis impetrare. Quæ duo certa sunt, et definita in Conciliis Arausicano secundo et Tridentino.

In quo ab invicem differant. — Differunt tamen, quia prima gratia auxilians necessario excludit omne meritum, etiam imperfectum et impetratorium, quibuscumque viribus factum, quod sequitur necessario ex principiis proxime positis, quia ante primum auxilium non potest præcedere actus procedens ab auxilio gratiæ, alias illud non fuisset primum; actus vero non procedens ab auxilio non potest esse meritorium alicujus gratiæ, ut dictum est; ergo in nullo prorsus actu fundari potest meritum etiam impetratorium hujus primæ gratiæ. Unde obiter intelligitur hoc esse verum non solum de prima gratia excitante, sed etiam de prima adjuvante, seu cooperante. Quia utraque necessaria est ad eliciendum opus pietatis, et ita utraque antecedit primum meritum, et est principium ejus; principium autem meriti non cadit sub meritum.

At vero prima gratia sanctificans, juxta probabiliorem sententiam, et juxta phrasim Augustini, cadere potest sub meritum imperfectum, fundatum tamen in auxilio gratiæ, quod solet Augustinus impetratorium vocare, scholastici autem de congruo. Quomodo ait Augustinus, Epistola 105, gratiam remissionis peccatorum non dari sine aliquo merito fidei et dilectionis. Ratio a priori est, quia, licet hæc gratia vocetur prima in ratione formæ sanctificantis, quia re vera est prima forma hujusmodi, nihilominus in toto ordine gratiæ non est prima, sed supponit plures alias gratias, quæ licet